

4807.

DISPUTATIO JURIDICA
IN AVGVRALIS
DE

59.

PACTIS ADJECTIS
ET IN SPECIE DE
PACTO RETRO-
VENDITIONIS

Quam

DEO OPT: MAX: FORTUNANTE
DECRETO ET AVTORITATE MAGNIFICI
JURISCONSULTORUM ORDINIS IN ILLUSTR
ACADEMIA HASSO-SCHAMBURGICA

P R Æ S I D E

DN. BERNHARDO
Schulzen

J. U. D. & Profess: publ: & Facultat: Juridic: p. t. DE CANO
Domino & Promotore suo observanter colendo

PRO DOCTORIS

IN VTROQUE IVRE SVMMIS HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
rite consequendis

Publicæ ac solenni censuræ submittet

LUDOLPH MELCHIOR Waltherr

In Auditorio JCTorum ad d. 28. Martij horis ante- & pomeridianis.



RINTELII, Typis Viduæ Lucianæ.

ANNO 1061.

Diss. jur. civ.

387, 8

II. III.



THESES I.



Conventio, seu Pactum in genere sumtum, est duorum vel plurium in idem placitum consensus. l. 1. §. 2. ff. de pact. l. 3. ff. de pollicit.

II.

Sub hac generali significatione pacti, omnes contractus non modo innominati, verum etiam, qui certo nomine ac forma sunt distincti continentur *l. 61. ff. pro socio. l. 27. §. 2. vers. idem dicimus ff. de pact.* Errant verò, qui in jure nostro nihil interesse existimant, an dicatur quis contraxisse, an pactus, vel convenisse. Licet enim is, qui contraxit, recte dicatur pactus, vel convenisse, tamen ex converso non omnis, qui dicitur pactus, dici potest iniisse contractum, quia pactio vel conventio est genus, contractus verò species.

III.

Conventionum seu pactiorum quædam sunt publicæ, quædam privatæ, de publicis tractare non est nostri instituti.

IV.

Privata verò conventio aut est nuda, aut non nuda, quam vestitam aut pactum vestitum Dd. appellant, quæ distinctio magistralis fundamentum habet in l. 7. §. 1. 2. 4. ff. d. pact. l. 10. C. eodem l. 15. ff. d. prescript. verb.



V.

Nuda Conventio est, quæ in nudis placiti finibus stat, nec habens certum nomen, nec ullam obligandi causam præter conventionem *d. l. 7. §. 1. 2. & 4. ff. d. pact. l. 27. C. d. locat: & conduct.* & in jure nostro pactum simpliciter passim appellatur *d. l. 7. §. 4. & seq. l. 10. C. eod. d. l. 15. d. præscript. verb. & d. l. 27. C. d. Locat:* & aliis plurimis textibus.

VI.

Hoc nudum pactum, seu nuda conventio, propter impedimentum legis positivæ, quæ huic actui suam adfistentiam denegat non parit obligationem efficacem, adeoque nec actionem. *d. l. 7. §. 4. l. 45. ff. d. pact. l. 10. C. eod. l. 95. §. 4. d. solut. l. 1. §. 17. ad Leg. Falcid. l. 27. C. d. Locatio. l. 15. ff. d. P. v. l. 28. C. d. transact.* quod in jure nostro tam certum & evidense est, adeo, ut qui illud in dubium vocare velit, non tam de veritate juris, quam de potestate Legislatoris disputare videatur, quasi hic ita præceptis juris naturalis vel gentium voluntarii obligatus esset, ut illis nihil addere vel detrahere possit; est quidem juris naturæ præceptum; quod in omni conventionem fides sit servanda. *Grot. d. jur. bell. & pac. in prologo. & lib. 2. c. 11. n. 1. & seqq.* modus tamen promittendi dependet ab arbitrio supremi imperantis. *Didac. Covarruv. in cap. quamvis de pactis in 6. part. 2. §. 4. n. 6. Mevius in discusion: levam: debitorum c. 2. n. 70. & seqq.* & Lex positiva civilis non vetat bonam fidem agnoscere, sed non cogit invitos ad omnium conventionum observantiam, & propter publicam utilitatem vim coarctricem hujusmodi conventionibus detraxit.

VII.

Hæc verò regula, quòd pacta de lege positiva Romanorum

rum

rum non producant actionem habet suas exceptiones, quarum prima est in pactis legitimis, *l. 6. ff. de pact.* quæ manente simplici formâ conventionis specialiter ad producendam efficacem obligationem sunt confirmata. Vel *lege civili*, quale est pactum donationis *l. 35. C. d. donatio*, item dotis *l. 6. C. de dot. promiss.* Vel *jure prætorio*, ut pactum constituti *l. 1. §. t. t. de Const. pecun.* & pactum hypothecæ *l. 17. §. 2. ff. de pact.* ubi ait **I**ctus de pignore jure honorario nasci pacto actionem, quod ita explicandum est; nimirum quia hoc ex Edicto Prætoris est, ut pacto nudo efficax obligatio pignoris constituatur, actio, quæ pro consequendo pignore comparata est, quasi ex pacto nasci videtur, quod tamen videtur paulò pinguius dictum. Bachov. *ad Treutl. v. 1. disp. 6. th. 2. lit. D. verb. Hypothec. de Action. disp. 3. th. 32. & ad prim. part. pandect. pag. 576.*

V III.

Altera exceptio est in pactis contractibus adjectis, quæ actionem pariunt non per se, sed quia ipsa propinquitate contractui conjunguntur & quasi agglutinantur: virtus enim illa operandi inest immediatè contractui & tanquam subiecto primo, pacto verò inest mediante contractui, à quo accipit virtutem & suam efficaciam, dum contractui propriè inest, illa verò coherencia contractus non debet confundi cum ipsa essentia contractus, quasi pacta adjecta mutarentur in contractus; sic imperium dicitur coherere jurisdictioni *l. 1. §. ult. ff. de offic. ejus cui est mand. jurisdict.* Imperium tamen non est propriè ipsa jurisdictio. Arn. Vinn. *de jurisdict. c. 7.* Ita etiam pacta adjecta, quamvis insint contractibus, ab his tamen differunt, quæ comparatio in aliquo tertio est intelligenda: imperium enim mixtum semper coheret jurisdictioni, potentiâ vel virtute, quod de his pactis prædicari nequit. Pacta



I X.

Pacta hæc aut adjiciuntur contractibus in continenti, aut ex intervallo. De pactis in continenti adjectis notanda hæc regula. Quod pacta augendæ obligationis gratiâ adjecta insint bonæ fidei judiciis, etiam ex parte actoris, actionemque contractus & ipsum contractum forment, legemque contrahunt. *l. 7. §. 5. ff. de pact. l. 13. C. eod. l. 79. ff. de contrah. empt. & vend. l. 6. §. 1. ff. de action. empt. & vend. l. 11. C. de pact.* Dico bonæ fidei judiciis, quia hoc non est commune omnium contractuum, ut pacta in continenti adjecta insint contractibus, actionemque producant sed tantum competit contractibus bonæ fidei, non enim exempli duntaxat causâ in dd. ll. facta est mentio judiciorum bonæ fidei, sed quia aliud juris est in judiciis stricti juris *arg. l. 32. §. 2. ff. de Usur. l. 3. ff. de rescind. vend. l. 11. in fin. ff. solut. matrim.* & supervacuum esset de bonæ fidei contractibus in dd. ll. addere, si pacta adjecta etiam inessent omnibus contractibus, nec ullus locus in jure nostro occurrit, ex quo probari potest, pactum mutuo aut stipulationi adjectum actionem producere. Nec faciunt in contrarium *l. 3. l. 13. l. 40. ff. de reb. cred. l. 48. ff. de pact. l. 13. ff. comm. præd. l. 27. C. de pact.* quas in conflictu videbimus.

X.

Prædicta regula omnibus contractibus bonæ fidei ex æquo accommodari nequit, sed maximè competit iis, qui solo consensu constant, qui verò contractus bonæ fidei *re* perficiuntur, iis pacta, quorum substantia in solo consensu, non tam facile inesse possunt, & vix alia pacta, quàm de dolo, culpâ, aut casibus fortuitis præstandis occurrunt. *l. 5. §. 18. commod. l. 1. §. 35. ff. deposit. l. 23. ff. de reg. jur.* præter exemplum de præstatione usurarum in deposito irregulari *l. 24. & 2. seqq. ff. depos.*
Pacta



X I.

Paſta verò dicuntur in continenti adjecta non tantum, quæ in ingreſſu contractus fiunt *l. 7. §. 5. ff. de pact. l. 5. C. de pact. int. empt. & vend. l. 5. 2. §. ff. commod.* ſed etiam illa, quæ negotio contracto mox ſine ullo intervallo ſubjiciuntur. *d. l. 7. §. 5. l. 3. C. de Edil. action. arg. l. 9. §. 5. de auct. tut.*

X I I.

Ad paſta adjecta bonæ fidei contractibus inter alia referri poteſt pactum retrovenditionis, quod pactum Germanis dicitur retractus conventionalis *Wiederkauffunge / Ablöſunge /* & eſt conventio emptioni adjecta, ut res vendita pretium iterum offerenti venditori reſtituatur, qualis conventio in jure valet *per text. in l. 2. C. de pact. int. empt. & vend. compos.* Marpurg. *vol. 4. cons. 29. n. 17. & vol. 3. cons. 18. n. 181. & ſeq.* de qua conventionem ſpecialius acturus ſum.

X I I I.

Hoc pactum retrovenditionis apponi poteſt vel in gratiam Venditoris, vel Emptotis, vel in favorem Emptoris & venditoris ſimul. Primo caſ: quando in favorem venditoris eſt adjectum, fit iterum hoc vel ſimpliciter & indefinite, ita ut venditori competat facultas redimendi, quodocunque pretium ab illo offertur, vel certo tempore definito, & tunc adjicitur tempus, vel ut *Terminus à quo*, quod exprimi volunt, per verba. *uff Zehn Jahr lang wieder kaufflich.* Vel ut *Terminus ad quem* v. g. *binnen Zehn Jahr.*

X I V.

Sin ullum tempus eſt adjectum, puto verioreſſe in jure



jure sententiam eorum qui statuunt inspecto Jure Civili præscribi huic actioni ex pacto 30. annis. Bachov. ad Treutl. v. 2. disp. 22. pag. 372. Scotan. disp. jurid. 36. n. 17. in praxi tamen contrarium observatur, uti in multis casibus in Camer. imper. non obstante præscriptione etiam centum annorum pronunciatum refert Minfing. cent. 1. observ. 16. & cent. 6. obs. 70. & decad. 4. resp. 31. num. 17. De hoc pacto ita statuit, in Camera Imp. quovis tempore & consuetudine sic observatum, ac in multis casibus, quod memoriâ teneo judicatum est, & adhuc indies talia videmus exempla, ubi multa oppida & civitates, quæ ante ducentos annos venditæ & oppignoratæ fuerunt, redemptæ & pristina jurisdictioni restitutæ sunt. & tradit Claud. Cantium. consil. 17. n. 44. se in Cam. Imp. in quadam causa hanc negativam sententiam obtinuisse, quam sententiam multis tuentur Marp. v. 4. cons. 10. n. 43. & seqq. & vol. 3. cons. 21. n. 258. & seqq. juxta quam Jcti Helmstadienses respondere non dubitarunt. teste Hahn. ad Wesf. tit. de rescind. vend. pag. 641.

XV.

Quando verò certum tempus est definitum ut Terminus à quo uff Zehn Jahr lang / conventio retrovendendi post decennium demum operatur effectum, jusque reluendi tribuit venditori, uti præjudiciis cōfirmat Carpz. in jurispr. Forens. part. 2. const. 1. def. 9. & in respons. Elect. lib. 5. t. 5. resp. 28. Secus verò si ad certum tempus, tanquam ad Terminum ad quem illa potestas est restricta binnen Zehn Jahren tunc enim elapso illo tempore non est integrum venditori redimere. Hartm. Pistor. observ. 223. qui tamen hanc assertionem limitat, quando venditor justum habet impedimentum, propter quod rem venditam intra tempus redimere non potuit, uti nonnullos casus recenset



cenſet *num. 7.* & concludit, quòd probato impedimento mora purgari, venditorquè ad redimendum admitti poſſit. Virgil. Pingizer. *q. 7. num. 15.* quam ſententiam præjudicio confirmat Carpz. *I. F. R. S. part. 2. conſt. 1. def. 8.*

X V I.

In favorem ſolius emptoris pactum eſt adjectum, ſi quis ita emat, ut redditâ venditori re venditâ debeat venditor pretium reddere, de quo tamen, an valeat tale pactum? diſputatur; & putat Matth. Weſenb. *vol. 1. conſ. 8. n. 13.* ſoli pignori, non retrovenditioni, hanc clauſulam convenire, quâ pecuniæ repetitio & condictio permittitur, indequè, ſi pactum ejusmodi apponatur retrovenditioni, degenerare in contractum uſurarium, quæ opinio rationibus carere non videtur: certi enim juris eſt, quòd in contractu emptionis & venditionis pretium irrevocabiliter fiat venditoris. *l. 11. §. 2. in fin. ff. de action. empt. l. 7. l. 12. C. eod.* & ſic etiam in annuis redditibus ſub pacto retrovendendi venditis & redimibilibus, ſoli venditori competit facultas redimendi annuos cenſus, nec conſeſſum arbitrio emptoris repetere ſortem & venditorem cogere ut redimat. R. A. de anno 1548. tit. von Bucherlichen Contracten, §. und nach dem das wiederkaufftes Geldes. Gail. *lib. 2. obſ. 7. num. 14.* ibiq; Grev. Carpz. *part. 1. dec. 9. num. 4.* Verum enim verò, licet hæc fundamenta aliquem colorem habeant, nos tamen ſtatuiſimus hoc pactum valere. Andr. Rauch *part. 1. q. 19. n. 7. & ſeqq.* Covarruv. *lib. 3. variar. reſolut. c. 9.* quæ ſententia probatur *l. 6. ff. d. reſcindend. vendit. l. 31. §. 22. de Edilit. Edict.* & ita Scabini Lipſiens. ad conſultationem Pauli Wittichs Anno 1623. pronuntiârunt teſte Carpz. *in Reſpons. Elect. lib. 5. t. 4. reſpons. 27.* his verbis. 6. Jahr

B



6. Jahr lang wiederkäufflichen angenommen und erkauffet/
welchen ihr nunmehr / weil die Zeit verflossen / Verkäuffern ge-
gen Wiedererlegunge eures hiebevor gezahlten Kauffgeldes/
wieder abzutreten gemeinet; Ob nun wol in Wiederkäuffen/
nur alleine dem Verkäuffer die Wiedereinlösung des uffm
Wiederkauff verkauften und voräußerten Guts / freysethet.
Dieweil aber dennoch in gegenwärtigem Fall außdrücklichen be-
dinget und abgeredet worden / daß euch als Käuffern die Wieder-
abtretunge des Ackers / nicht weniger als Verkäuffern die Wie-
dereinlösung frey stehen solle / welche Vergleichunge denn in
Rechten zulässlichen &c. So wird auch euch gegen abtretunge
gedachten Ackers / euer Kauffgeld hinwiederumb billig entrichtet
und außgezahlet. Contraria argumenta refutavit Carpz. d.
resp. & ita in collegio juridico Jenensi Anno 1623. pronuncia-
tum refert Richter. *de pactis inter Emptorem & Venditor. com-
positis. pag. 239.* Ob wohl so viel die wiederkäuffliche Zinsen an-
langet / die Loßkündigunge / wenn sie bey dem Käuffer stehet / vor
unkräftig zu achten: So hat es doch in Veräußerunge der un-
beweglichen Güter / wann Käuffer ihm die Ußkündigunge uff
gewisse Masse vorbehält / eine ander Gelegenheit / darumb wegen
jeho berührter und dem Käuffer zum besten beschehener Bedin-
gungen solcher Contract pro mutuo oder pignoratitio nicht zu-
achten / sondern bleibt solches Vorbehalts ungeacht emptio
cum pacto de retrovendendo.

XVII

Denique in favorem simul emptoris & venditoris res
vendi potest cum pacto de retrovendendo ita, ut uno eorum
prius volente, teneatur alter iterum vendere, vel emere.

XIX.

Differt verò emptio venditio cum pacto de retroven-
dendo,

dendo à contractu pignoratitio; sapissimè quidem contra-
hentes in instrumentis verbo retrovenditionis & pignoratio-
nis uti, & unum pro altero usurpari solere. testatur Berlich.
part. 2. concl. I. num. 2. in multis tamen hi contractus differunt.
Emptio venditio cum pacto de retrovendendo tribuit em-
ptori fructus irrevocabiliter, quos perceptos lucratur, nec
illos in sortem amputare tenetur arg. *l. 2. C. d. pact. int. empt. &
vend. composi.* Matth. Coler. *vel I. cons. 27. n. 40 & seqq.* Modest.
Pist. *vol. I. cons. 13. n. II.* & quidem jure dominii, quod sine du-
bio in emptorem transfertur. Jacob: Menoch: *lib. I. cons. 16.
n. 9. & seqq.* in contractu verò pignoratitio fructus medio tē-
pore percepti in sortem imputantur, ita, ut creditor vel posses-
sor, si percepti fructus pretium excedant, rationem reddere, &
rem cum fructibus nullo pacto restituere cogatur. *l. 1. C. d. dis-
tract. pignor.* Cardin. Mantic: *d. tacit. & ambig. convent. lib.
II. t. 8.* uti eleganti præjudico confirmat Carpz. *I. F. R. S. p. 2.
const. I. defin. I.* ex quibus verò argumentis colligi debeat natu-
ra & qualitas contractus, an nimirum sit emptio cum pacto
de retrovendendo, an verò pignus, aut etiam simulata con-
ventio? de iis agit Menoch: *lib. 3. d. præsumt. cap. 122.* Mascard:
de probation: conclu 447. & seq. Covarruv. *lib. 2. variar: re-
solut. 4.* Late & eleganter Marpurg. *volum. 3. cons. 18.* & Me-
vius *in discussion. leuam. inop. debit. cap. 4. pag. 314. & seq.* nos
statuimus, quòd non levis præsumptio pro usurario & pigno-
ratitio contractu oriatur, si emptio cū pacto de retrovenden-
do ex causa mutui originem sumserit, e. g. Titius venditor ro-
gat Cajum pro pecunia sibi mutuanda, Cajus verò noluit pe-
cuniam mutuò dare, nisi sibi fundus cum pacto de retroven-
dendo venderetur: hoc enim casu, licet verbis manifestis fiat
mentio emptionis & venditionis cum pacto de retrovenden-
do,

do, quia verò causa originalis fuit mutui & non emptionis, contractus indicatur usurarius; uti Elect: Saxo Scabini Anno 1631. responderunt. Ob wol der creditor in denen Gedancken stehet / das er vermöge des uffgerichteten contractis die ihm eingereumete 12. Marckscheffel getreidig unbeschadet des capitals zu gebrauchen habe / ihm die eingehobene Nukunge nicht in sortem computiret werden müge / dieweil aber dennoch dieser Wiederkauff ex causa mutui entstanden / und daher nach gemeiner Bahn der Rechtsgelehrten pro contractu usurario zu halten &c. So hat sich auch der Creditor dessen nicht zu erfreuen / sondern er ist bey Wiederempfangung des Capitals von dem eingehobenen Nukungen Rechnung zu thun / und dasjenige / so er über den Landüblichen Zins daran gewonnen / ihm in sortem computiren zu lassen schuldig / W. R. W.

XIX.

Vi hujusmodi pacti retrovenditionis, non ita contractus emptionis resolvitur, ut in additione in diem, & L. commissoria, sed solum venditori promittit emptor rem se iterum venditurum, & datur actio personalis, actio sc. ex vendito l. 2. C. de pact. int. empt. & vend. comp. ubi insignis illa difficultas oritur, quomodo actio praescriptis verbis locum habere possit? sunt qui respondent, particulam *vel* ibi esse correctoriam Perez. ad C. d. t. n. 15. & t. C. de pact. n. 21. nimirum verba Imperatoris Alexandri non ita esse accipienda, quasi Imperator hic duas actiones concederet, quarum alterutra venditor pro arbitrio uti possit; sed posteriorem duntaxat ex vendito; quæ responsio difficultatem vix solvit, sic apud Paulum Alexandri consiliarium in l. 6. ff. de rescind. vend. scriptum est, duas actiones ex pacto illic proposito & emptioni adjecto competere, ex em-



ex empto, aut proximam empti in factum, quod si quis dicat
h. l. particulam *aut* simili modo esse correctoriam, is solam a-
ctionem in factum præscriptis verbis, non ex empto admitte-
re cogitur, sin minus fateri debet, utramque actionem in casu
proposito competere, & apud Pomponium in l. 13. ff. commod.
ex sententia Celsi relatum est, si iusserim liberum hominem,
qui bonâ fide mihi serviebat, aliquid facere, vel mandati cum
eo, vel præscriptis verbis experiri me posse, si hæc particula *Vel*
vim corrigendi habet, tunc actionem præscriptis verbis, non
mandati experiri quis poterit. Nos statuimus cum Doctissi-
mo Arnoldo Vinn. de pactis c. 11. n. 6. quod in prædictis locis
proponantur casus singulares, & pacta ejusmodi, quæ tendunt
ad dissolutionem contractûs, cui adjiciuntur, quod cum fit, a-
pud Veteres dubitatum est, an etiam actio ex contractu dan-
da: e. g. an etiam de eo pacto ex vendito actio danda, quod
venditionis distrahenda gratia appositum est: certo enim jure
jam olim admissa fuit actio præscriptis verbis. l. 12. ff. de præ-
script. verb. & placuit tandem etiam ex vendito agi posse, ut
tamen & altera adhuc manserit, atque jam in arbitrio sit paci-
scentis, utra in hujusmodi casibus experiri quis velit, vide sis
Cardinal. Mantica. de tacit. & ambig. convent. lib. 4. tit. 32. n. 6.
& seqq. nec concedendum videtur, quod quidam existimant,
ne his quidem casibus cum actione ex contractu concurrere
posse actionem præscriptis verbis, nec fieri posse, ut ex eodem
negotio actio ex vendito detur, & actio præscriptis verbis ideo,
quod illa sit bonæ fidei, hæc stricti juris, quæ ratio infringitur
t. l. 4. §. 1. l. 9. in pr. §. 2. ff. de reb. cred. l. 28. §. 4. ff. de jure juran. l. 2.
ff. de condict. sin. caus. l. 11. §. 6. ff. de action. empt. sed occurritur
nobis ex l. 4. ff. de L. commiss. l. 16. ff. de in diem addict. ubi ex pa-
ctis, quæ spectant ad dissolutionem contractus, non alia con-
cedi-



ceditur actio, quam ejus contractus, in quo sunt interposita. Bachov: *in comment: ad prim. part. pand. t. d. pactis pag. 889.* putat esse iterum aliquid singulare in dd. LL. quod satis ingeniosè proponit; Arnoldo verò Vinnio *d. c. II. n. 10.* longè verisimilius videtur, quòd veteres etiam in casibus in *d. l. 4. ff. d. L. commiss. & d. l. 16. ff. d. in diem addict:* & similibus ad rescindendam venditionem pertinentibus tantum admiserint actionem præscriptis verbis *per text: in l. 12. ff. d. præscript: verb. & responsio ad d. l. 4. & d. l. 16.* non est difficilis: etsi enim quidā existimaverint, etiam ex vendito istis casibus agi posse, & secundum eos quæstio sit decisa *d. l. 4.* mansisse tamen nihilominus actionem præscriptis verbis, quæ sententia probatur *arg. l. 5. ff. d. rescind. vend. & l. 2. C. d. pact. int. empt. & vend. comp.*

XX.

Actio verò ex pacto retrovenditionis competens, est personalis, nec datur adversus tertium possessorem, in quem emptor alienavit, sed contra ipsum emptorem, in id quod interest. *l. 21. §. 4. ff. d. action. empt. & vend. l. ult. §. 1. ff. de contrah. empt. l. 25. ff. de O. & A. Mynsing. cent. 6. obs. 69.* ubi refert, Dominos Camerales in ardua quadam causa conclusisse, Pactum de retrovendendo rem ipsam non afficere, nec ex tali pacto jus aliquod reale oriri, ex quo actio realis competeret, sed tantum obligationem personalem, ex qua deinde actiones personales. Hartm. Pistor. *1. quæst. 21. Gail. 2. observ. 16.* qui ita in Camer. Imper. praticari tradit, latè Marpurg. *vol. 4. cons. 10. n. 6. & cons. 29. num. 67. & seqq.* & hanc sententiam esse communio-rem & à pluribus, teneri, testatur ex antiquis scriptoribus Alexand. *volum. 1. consil. 10.* quam solidissimè confirmat hæc unica ratio juris, quòd pactum non possit afficere rem, sed tantum personam, cum sit nuda conventio, quæ non
nisi



nisi actionem personalem producere potest, nec traditio facta ex justa causa purè & sinè conditione, suspensiva impedire potest dominii translationem, quod cum sine controversia sit translatum in primum accipientem, nulla ratio reddi potest, propter quam porrò dominium transferri nequeat, & posito hoc principio immoto, per pactum rem non affici, necessariâ & infallibili consequentia infertur ad dominii translationem. Bach: *d. Action: disp. 4. th. 19.* uti etiam tenet cōmunis JCTorum schola Surd. *decis. 254. n. 11.* Vincent. d. Franch. *decis. 355. in fin.* Wissenbach. *disp. 35. ad ff. n. 30.* Scotan: *disp. 36. n. 10.* & hanc opinionem in Cam. Imper. receptam, in aliis judiciis cū Pomerania tum Megapoleos pronunciando fuisse approbatam ex multis præjudiciis se scire tradit. Mevius *in discussion. levamin. inop. debitor. c. 4. n. 65.* ubi tamen quatuor exceptiones tradit; Contrariam tamen sententiam multi insignes JCTi amplectuntur, quos refert Mevius *d. c. 4. n. 61.* Cardin. Mantic. *de tacit. & ambig. convent. lib. 5. t. 32. n. 44.* & affertur pro firmamento istius sententiæ textus *in l. 13. in fin. ff. de pignorat. action.* in qua deciditur, quòd, si creditor, cui à debitore res fuerit pignori obligata, debito sibi non soluto alteri vendiderit hoc pacto, ut si debitor solveret pretiū emptori, liceret ei rem suam recipere; oblato pretio possit eam vindicare, cui consequens, ut statim dominium in debitorem ipso jure transferatur, putat Dn. Wissenb. *disp. 35. ad ff. n. 31.* esse casum singularem, ejusque hanc rationem specialem, ut aliquis istius pactio- nis sit effectus, qui aliàs nullus esset, cum actio in personam ex illo pacto debitori quæri non possit, atque adeò huic pacto vim inesse pacti resolutivi *arg. l. ult. ff. de L. commiss. l. 10. §. 1. ff. quib. mod. pign. solv.* aliam solutionem dat Goeddaus *in Cons. Mar- purg. vol. 4. cons. 29. n. 90.* nimirum interesse, an jure com-
muni,



muni, vel proprio crediti jure vendiderit Creditor pignus, priori casu nil nisi jus sui crediti & hypothecæ in ea re vendidit, quo casu etiam absque pactione debitor oblatâ pecuniâ suo jure vindicare, vel in factum experiri posset, quia res debitoris non desuit esse, posteriori casu dominium quidem ad emptorem transtulisset, si rem ipsam vendidisset, adeo ut de proprietate emptor à debitore conveniri non possit. *l. qui à creditore C. d. distract: pign. l. 4. ff. d. pign. action:* si verò creditor per publicam distractionem non ipsam rem, sed jus suum in emptorem transferre voluerit, dominum rei sive corporis non facit, sed nominis & hypothecæ, & hoc casu poterit debitor oblato debito rem suam hoc modo liberare & per rei vindicationem & per actionem in factum ab emptore, qui vicem creditoris vendentis subiit, repetere & de hoc ultimo & primo casu textum in d. l. 13. intelligi posse, statuit Alexand: *vol. 1. cons. 10. n. 8.* Secundo adducunt nonnulli, quòd ex pacto Legis commissoriæ dominium ipso jure ad venditorem revertatur, ut contra quemlibet possidentem ipse possit agere rei vindicatione *l. 2. ff. d. L. commiss: l. 1. C. d. pact. int. empt. & vend. comp. l. 4. C. eod. e. g. si convenerit, ut si intra certum tempus pretium non fuerit solutum res sit inempta. Scotan. disp. 26. th. ult. Franksius ad ff. d. L. commiss. n. 2.* idem verò dicendum de pacto retrovenditionis propter eandem rationem; sed hæc obiectio non videtur magni ponderis: negamus enim, quòd vi pacti adjecti ita contractus resolvatur, ut in additione in diem, & lege commissoriâ, sed solum promittit emptor venditori, se rem pretio oblato iterum venditurum, & sic solum datur actio personalis, actio sc. ex vendito, & adhibitâ distinctione res clarior fiet, si distinguamus inter pactum simpliciter contractus resolutivum, & secundum quid pactum, seu reformati-

mati-



mativum: prioris generis est pactum Legis commissoriae & additionis in diem; posterioris verò pactum de retrovendo, quod dici potest mixtum ita ut oblato pretio fundus quidem retrovendatur, sed interveniente facto contrahentium, ita ut venditor pretium offerat, emptor verò fundum reddat. Ita est enim emptio de retrovenditione, & rei venditæ restitutione quo respectu hoc pactum simul est reformativum quia non modo pristinum contractum resolvit, sed & novum inducit videlicet Henric. Zœsi. *ad ff. t. de Leg. commiss. de retract. num. 19.*

XXI.

Hæc actio ut cum effectu intentari possit, requiritur, 1. ut redempturus emptor pretium offerat, *arg. l. 13. §. 8. de action. empt. Coler. cons. 28. n. 43.* sed an verbalis oblatio sufficiat, an verò realis oblatio requiratur, distinctione hæc difficultas solvi potest, an nimirum emptor recusat oblationem an verò acceptat, illo casu verbalis sufficit & effectum habet solutionis, & pro implemento est venditori *l. 19. C. de usur. l. 7. ff. de solut.* Hoc verò casu quoad effectum recuperandæ mercis venditæ necessaria est realis oblatio, quæ fit vel reali solutione pretii, vel solenni oblatione, consignatione & depositione. *Marpurg. vol. 4. cons. 10. n. 85. & vol. 3. cons. 21. n. 289.*

XXII.

Pretium verò justum & integrum debet offerri quod est commune retrovenditioni cum ipsa venditione ex natura contractus *Grot. d. 1. B & P. lib. 2. cap. 12. n. 14.* Leonard. Lessius *de just. & jur. lib. 2. cap. 21. dub. 2.* Dicitur verò justum pretium, quod consistit in justâ quantitate, quæ vix est, ut non aliquam latitudinem habeat, intra quam plus minusve dari aut exigi possit, nisi ubi lex certum rebus pretium *εν τι γμν* ut Aristoteles loquitur, id est in Puncto constituit. *Grot. d. n. 14.*

C

hoc



hoc casu redempturus si de pretio sit conventum tempore ad-
 jecti pacti, illam conventionem servare tenetur, Didac. Covar-
 ru. *var. resolut. lib. 3. cap. 9.* Si verò nihil sit conventum tem-
 pore adjecti pacti tunc idem quod accepit restituere debet. Co-
 ler. *consil. 28. n. 43.* Marpurg. *vol. 4. consil. 19. n. 67. & n. 121.*
& seqq. Frideric. Martin. *in eleganti tractatu de jure censuum*
c. 6. n. 232. Hinc si tempore retrovenditionis ponamus mo-
 netam esse mutatam, illa æstimatio erit inspicienda, quæ fuit
 tempore venditionis & juxta illam pretium retrovenditionis
 erit solvendum nam & aliàs in solutionibus valor monetæ re-
 spiciendus est, qui fuit tempore contractus Ernest. Cothman.
Vol. 1. consil. 34. n. 32. & seqq. Pruckman. *Vol. 2. consil. 12. n. 8.*
 Reinking *de retractu consanguinitatis. q. 6. n. 291.* ubi testatur
 se ex consiliariis aulicis non semel audivisse, Senatum Imperii
 aulicum illam sententiam in judicando aliquando compro-
 bâsse, & secundum eam in conventu Ratisbonensi in Senatu
 Imperii aulico decretum fuisse mandatum sine clausula in
 causa Oldenburg contra Lübeck 4. die Aprilis Ao. 1623. & cum
 Sacra Cæsarea Majestas, consilii aulici judicium eâ de re requi-
 sivisset, unanimiter ita respondisse 2. May Ao. 1624. quam sen-
 tentiam multis confirmat Sixtinus *de regalibus lib. 2. cap. 7. n.*
148. & seqq. & in consil. Marpurg. Vol. 2. consil. 12. n. 169. &
seqq. ubi n. 70. affirmat prædictam opinionem variarum Cu-
 riarum suffragiis comprobata esse & quod in pretio reitutio-
 nis ea moneta, quæ fuit tempore primæ venditionis, solvi de-
 beat præjudicio confirmat Carpz. *in I. F. R. S. part. 2. constit.*
t. def. 22. So ist Käuffer solchen geschlossenen Wiederkauff zu
 halten / und gegen Wiedereempfangung der außgezehlten 60. al-
 ten Schocken welche ihm an solcher Münz / so Anno 1611. Zeit
 des geschlossenen Wiederkauffs gangbahr gewesen oder der selbst
 werth



werth nach billig abgetragen Bürden/dz erfauffte Reichlein abzutreten schuldig B. R. th. vid. Richterum in tractatu de Pactis int. emt. & vendit. Pag. 273.

XXIII.

Pretium porrò eodem modo erit solvendum à retrahente, quo illud à primo emtore est solutum, si igitur emtor paratà Pecunià rem emit, & integrum pretium uno tempore solvit nullum est dubium, quin venditor, qui rem venditam redimere cupit, idem pretium eodem modoolvere cogatur Berlich. part. 2. conclus. 2. n. 43. Si verò distinctis temporibus à primo emtore pretiũ est solutũ, iisdem terminis & distinctis temporibus pretii solutionem recipere tenetur, Andr. Scheffer lib. 3. q. 10. uti eleganti præjudicio comprobatur Carpz. in I. F. R. S. part. 2. constit. 1. def. 21. & Richter. d. tract. Pag. 274. Obiter attingam illam quaestionem, An feudum cum pacto retrovendi- tionis emtum, Vasallo emtore ante reuisionem defuncto, ita cedat filiis vel agnatis, ut postea eveniente reuisionis casu, pretium ad eos solos, filiabus & heredibus allodialibus exclu- sis, pertineat? Pro partibus heredum feudalium, vel successo- rum feudi stat, & iis solis pretium ex feudo revendito deberi a- critter defendit Dn. Carpzov. in resp. Elect. lib. 5. tit. 4. resp. 31. quam opinionem præjudicio quodam à Scabinis Lipsiensibus ad requisitionem Christophori Laubeus mens. Jun Ao. 1638. prolato confirmat, & eodem modo ad consultationem Peril- lustris Dn. Dn. Johannis Sigismundi Comitis Lynar ante quadriennium illos respondisse, & ita eodem tempore in præ- dictâ causâ facultatem juridicam in Universitate. Lipsiensi pronuntiãsse notat Richter. d. tract. pag. 246. 247. Contra- riam verò sententiam propugnant Andr. Rauchbar part. 1. q. 27. & Hartm. Pastor. part. 3. q. 24. n. 10. usque ad n. 27. quorum



argumenta recenset & latius deducit Richter: *d. loco* & ita in Collegio Juridico Jenensi mense Jul. Ao. 1653 in eadem causâ Perillustris Dn. Dn. Johannis Sigismundi Comitis zu Lynar responsum tradit Richter, hanc verò posteriorem sententiam restringit Andr. Rauchbar *d. l. ult. n. ult.* Si quis feudum expressè pro se & hæredibus masculis cum pacto retrovenditionis, emerit vel acquisiverit, quo casu his potius, quàm hæredibus allodialibus prospicere voluisse censetur, ita ut re redempta illi pretium loco ejus recipiant. Simon Ulricus Pistor. in *additione* ad Hartm. Pistor. *q. 24. in fin.* idem dicendum, si emtor pro se & hæredibus suis tam masculis quàm foeminis feudum cum adjecto pacto retrovendendi emerit, & ita de eo investitus fuerit, hoc casu feudum tali modo acquisitum ad masculos quidem & foeminas pertinet, ita tamen ut foeminæ non nisi deficientibus masculis ad successionem admittantur. Hartm. Pistor. *lib. 2. q. 35.* & ita prædictæ sententiæ in Collegio Juridico ad requisitionem Dn. Comitis à Lynar illa clausula fuit adjecta teste Richtero loco ante citato ubi ad argumenta à Dno. Carpzovio pro contraria opinione adducta respondet.

X X I V.

